

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus

### Caput 5: De liberalitate (10)

Idem (Seneca):

Nullum beneficium est magis necessarium referenda gratia.  
Nam et Isidorus iubet reddere maiori mensura ea que acceperis mutuo.  
Quid ergo debemus facere provocati beneficio?  
Imitari debemus agros fertiles, qui multo plus afferunt quam acceperint,  
quia si non dubitamus beneficia conferre hiis quos speramus nobis  
profuturos. Quid ergo debemus esse hiis qui nobis iam profuerunt?

Non dare vel dare,  
aut demus vel non demus, in nostra potestate est,  
non reddere, non bono viro licet.

Nullum officium referenda gratia magis necessarium.  
Nam si Hesiodus iubet reddere maiore mensura que acceperis utenda,  
quid debemus facere prouocati beneficio?  
Imitari agros fertiles qui multo plus afferunt quam acceperunt.  
Quia si non dubitamus officia conferre his quos speramus nobis  
profuturos, quales debemus esse in eos qui iam profuerunt?

Nam demus uel non demus, in nostra potestate est;  
non reddere uero bono viro non licet,  
si absque iniuria id facere possit.

Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*,  
I.B.2.aII (J. Holmberg ed., p.18, ll.4-11).

Sin erunt merita, ut non ineunda sed referenda sit gratia,  
maior quaedam cura adhibenda est;  
nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est.  
Quod si ea quae utenda acceperis maiore mensura, si modo possis,  
iubet reddere. Hesiodus, quidnam beneficio provocati facere debemus?  
An imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt quam acceperunt?  
Etenim si in eos quos speramus nobis profuturos non dubitamus  
officia conferre, quales in eos esse debemus qui iam profuerunt?  
Nam cum duo genera liberalitatis sint,  
unum dandi beneficii, alterum reddendi,  
demus necne in nostra potestate est,  
non reddere viro bono non licet,  
modo id facere possit sine iniuria.

Marcus Tullius Cicero, *De officiis*, 1.47-48 (M. Winterbottom ed.,  
p.20, ll.8-20).